



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

7. Litteræ præsidium contra Sirenes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Tres scilicet exitiales honestatis pestes: *Gula, inertia, Luxuria.*

(g). Quod autem Sirenes ab Ulyssæ sprete in mare sese immerferint, indicatur, quantum valeat actus virtutis heroicus unus. Vna namque victoria de hoste strenuè relata facit ipsum timidiorum ad novos insultus; imò sic debilitat & frangit, ut non audeat in certamen redire. Et plerumque si primos libidinis motus cordatè represseris, posteriores languidiùs incurunt. Et quid aliud significant aures Sirenium cantibus obseptæ & oclusæ, quàm primis tentationum illecebris oculos atque aures tam corporis quàm animi non esse aperiendas?

VI. (h) PP. nostri Belgæ in *Imagine Societatis* Castitatem Religiosam voto adstrictam ingeniosè per Ulyssæ ad malum navis religatum, & aures manibus admotis obsepientem exprimunt, frustra circa navigium ludente Sirenium choro; cum lemmate,
---- canitis surdis, canitisque ligatis.

Ultimi versus epigrammatis hi sunt.

Vincula vota mihi, crux malus, Typhis JESUS,
Pro pelago lacrimæ, pro statione Deus.

Anchora Spes, Cor, acus, velum Suspiria, clavus
Firma Fides, ventus Gratia, remus Amor.

VII. (i) Orphei cantum adversùs Sirenium blanditias prævalentem, disertissimus Muretus eleganter accommodat ad sapientes juventutis litterariæ institutores. Placet ejus referre verba: Memoria proditum est, Jasonem olim, ceterosque Argonautas cum eam insulam, quæ ab amantitate, florùmque copia nomen invenerat, præternavigarent, periculùmque esset, ne molli ac delicato Sirenium cantu, quæ eam insulam incolebant, ad exitium perducerentur; unum in Orpheo perfugium habuisse; qui cum esset in puppi, simulque fides blandis impellere digitis, simul vocem illam, quæ feras nemoræque traxerat, explicare cepisset, tanta simul aures, animosque audientium voluptate complevit, ut jam Sirenium vocibus nemo navigantium moveretur. Hoc figmento quid tandem aliud doctissimi homines, nisi id, quod nos volumus, indicant? Florida videlicet illa insula, Juventus est. Eam qui quasi prætervehuntur, magno in periculo sunt, ne Sirenium, id est, voluptatum blanditijs decepti, & à recto tramite abducti, in vada & scopulos deferantur. Quodnam igitur huic tanto periculo comparandum remedium est? Quod, nisi Orphei, optimi ac sapientissimi vatis Lyra? cujus suavitatem

(g) Primis tentationum illecebris resistendum. (h) Ulyssæ allegorici adversùs Sirenes Victoria. (i) Litterarum præfatio Sirenium cantus spernuntur.

tatem, qui percipiunt, ij & Acheloidum cantus pro nihilo putant, & tandem institutum iter emensi, vellus aureum, id est, virtutem cum immortali conjunctam gloria consequuntur. Orat. 2. de laud. litt.

VIII. (k) Hæc satis de Sirenibus, si adjecerimus, à Mythologo perniciosas earum illecebras ac voces, etiam ad adultores transferri, qui eos, quibus assentantur, in profundissimum somnum inducunt, ut non videant, quid differat amicus ab adulatore; quoniam hujus suavior est auribus oratio, itaque fit, ut, dum nullus amicitiae, sinceritati, justitiae patet locus, auditores creduli gravibus involvantur malis.

IX. (l) Sed quid? propè oblitus fuisset dicere, quid sibi velit, quoddam Musæ è devictarum Sirenium pennis, coronas sibi texuerint. Nimirum denotatur, ad pravae voluptatis insidias superandas, nihil esse validius, quam animum procul ab ignavia habere, & ad litterarum studia strenuè applicare. Nam ubi mens ingenuis curis occupatur, & amore liberalium artium tenetur, facile spernit voluptates & generoso repellit fastu, quidquid molliùs blanditur: unde consequitur, ut domitiae cupiditates vires suas, velut alas amittant, & victori in præmium virtutis, ac etiam doctrinae cedant. De Sirenibus extat emblemata 115. Alciati: cui adijunge lemma: *Dum vocant, vorant.*

(k) Per Sire: es etiam adultores intelliguntur. (l) Musarum de Sirenibus via gloria ac corona quid significant.

SYMBOLUM XXXI.

Triptolemus, mirus Cereris alumnus.

s. *Metam.*

Ethicè:

1. Magna vis educationis in utramque partem.
2. Igniculi primi naturæ.
3. Laus agriculturæ.
4. Commendatio laboris.
5. Beneficentia colenda.

Fuit hic *Celei*, regis Eleusini (est Eleusis civitas Attica, non longè Athenis sita) filius. Ad hunc regem fortè Ceres, dum raptam à Plutone filiam undique quærît, diverterat, ab eoque liberalissimè fuit habitata. Dea remuneratura humanitatem hospitij, omne genus agriculturæ